



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum  
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de  
Coloniæ Agrippinæ**

Præfatio Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

PRÆFATIO AD  
LECTOREM.

*Collecti  
Paderborna*

*Francisci Toleti*



VVM hæc Francisci Toleti Cardina-  
lis de ratione officiorum summa, seu  
sacerdotum instructio, non ita pri-  
dem, valde imperfecta, atq; adeo mu-  
tila ac deprauata prodierit; reddenda  
ratio videtur, prudens Lector, diligen-  
ter, & quare id acciderit, & quo studio ac diligentia  
modo curatum sit, vt in hac editione non solum supe-  
riorum editionum errata corrigerentur; sed etiã opus  
ipsum in primis augetur & ornaretur. Etenim statue-  
rat ipse quidẽ autor id opus in lucem edere; verũ non  
nisi accurate à se recognitum ac locupletatum. Quod  
cum plane perficere, vt instituerat, præuētus morte nõ  
potuisset, ne opus quidem potuit, autore viuo, prodire.  
Ergo non ita multo post, quam vir tantus excessit è vita  
typographi quidam exemplum fortè nescio quod na-  
cti ex ijs, quæ Cardinali publice olim docente, dum in  
minoribus, vt iam loquimur, esset, tumultuaria opera  
auditores exceperant, vltro mandare prælo ac diuulga-  
re non dubitarunt. Quamobrem, non modo contra quã  
Autor statuerat, impolitũ opus prodijt, & imperfectum  
quippè, cum in eo multa, vt infrà dicitur, à Cardinali  
addita & perpolita desiderentur; verum etiam erratis  
mendisq; non paucis inquinatum. Nam, & in illud ope-  
rarum vitio irrepsit, & multo plura ex ipso exẽpla-  
ri redundarũt: quæ Autoris autographo ita repugnant;  
vt sæpè diuersam sententiã, sæpè etiam illi cõtrariam,  
in qua fuit autor, complectantur. Quare, vt his incom-  
modis, quoad eius fieri posset, subueniretur, simulque  
confuleretur summi viri existimationi, atque vtilitati  
legendium; quæsitum est exemplum ipsius Toleti manu  
conscriptum, & ab eodẽ multis locis correctum, quod  
est Romæ apud Patres societatis IESV: cũ quo ab eij-  
dem patribus vnũ ex istis, quæ, ita vt dictum est, incon-

sulto fuerant excusa, accurate collatum est, atq; vbi discreparet, emendatum. At enim alij quoq; se id correxisse profitentur. Verum qua tandem ratione id affectui dicatur? qui neque autoris autographum videre, neque eius consilia, sensuq; animi diuinare potuerunt. Huc accedit, quod etiã si Franciscus Toletus, Vir doctissimus easdẽ quæstiones ac disputationes, quas tractare fufius cœperat atq; ornare, nõ plane reliquerat absolutas; curatum tamen diligenter est, vt quæ iam adiunxerat expolireq; cœperat, tum alibi sæpè suis quæq; locis infererentur, tum hæc in primo potissimũ libro de excõmunicatione, suspensione, Interdicto, depositione, & irregularitate, explicatio denique Bullæ in Cœna Domini: quarũ profecto rerũ vestigia dumtaxat aliqua in ijs exemplarib. apparebãt, quæ ante hanc nostrã editionem, circumferebantur. Quare cætera exẽpla, quæ adhuc in hominum manus peruenerunt, nulla ratione videntur esse cum his nostris, aut multitudine rerũ, aut sinceritate lectionis, aut sententiarum maturitate conferenda; quippè, cum illa, vt erant olim non tam à Francisco Toletõ iuniore tum temporis dictata; quam à non doctissimo quopiam auditore festinanter excepta prodierint; hæc verò vt sunt ab eodem Toletõ iam seniore, longoq; rerum multarum ac maximarum vsu, Romanæque præsertim curiæ prudentissimo, seque ipso quodammodo doctiore ac peritiore recognita, aucta, & propemodũ perpolita, ita edantur in lucẽ. Excipe igitur, humanissime Lector, hoc opus, ea, qua soles alacritate cætera huius viri opera cõplecti. Nam etsi nõ est omninò, vt diximus, vt alia eiusdẽ opera, quæ antea prodierunt, ab ipso recognitũ, atq; omnibus, vt dicitur, numeris absolutũ; tamen, & rerum, quæ in eo tractãtur utilitas ac necessitas, quã videlicet ad sempiternam animorũ salutem maximè referantur; & Scriptoris ipsius autoritas, doctrina perspicuitas, grauitas; & adhibita in eodẽ opere corrigendo, illustrando augendo cura, atq; industria est eiusmodi; vt speremus non minus tibi hoc opus gratũ fore, quam cætera, vtilius etiã fortasse, quam cætera. Vale.

INDEX